

μονι γίνεται, quorum sedes est in pulmonibus. In hujusmodi enim affectionibus caput incallescens, sanguine repletur, effunditque, quod ex eo redundat, tum ruptis, tum adaperitis venis.

ABSCESSVS ratione loci variant. Quidam *ἀνω*, superius contingunt circa cervicem & aures, ut parotides, iisdemque à causis, quibus hæmorrhagiæ narium, oriri docet. Quidam *κάτω* deorsum vergunt, & hos solùm habere locum asserit in iis, quibus affectionis constitutio in partibus, quæ secundùm jejunum intestinum vel hepar sunt, existit. Ejusmodi abscessus sunt pudendi livor, & testiculi intensio, quæ nonnunquam ab inflammatione, in se ipsò accensâ; nonnunquam per attractionem ab iis, quæ superius sunt inflammata fieri assolet. Hujus generis abscessus in malignis aliquoties observavit *Illustr. Dn. Preses*, utiejus analecta notant.

Per SPUTA crassa terminationem etiam recipit illegitima ardens, cujus fomes in pulmonibus est, & quidem *πίψως, ἤδη γερονίας, cœctione jam tum factâ.*

## CAPUT XXXIII

### signa futuræ criseos ejusque effectus demonstrat.

IPSA natura morborum acutorum evidentissimè demonstrat, quòd ardens terminari amet per crisin, eamque perfectam ad salutem. Calida hujus natura atque urens per excretionem sublevari consuevit, juxta sententiam *Galeni 1. de arte curativâ ad Glauconem.*

EFFECTUUM habitâ ratione crisin imminere conjicitur, si cum morbo pugnam subiisse naturam animadvertatur, & vehementia adpareant symptomata, quæ juxta *Galenum in comm. ad aphor. 7. libr. 5.* in morbis acutis, licet sint vehementissima, aliquando bonas operantur crises. Ita dolor & gravitas contumax capitis hæmorrhagiam imminentem; anxietas circa cor vomitum enormem præauntiant. Hòc modò secernuntur mala,